

DISPUTATIO MORALIS
De
PRIMO OBJECTI BONI
AFFECTU,

sive
AMORE,

quam
Annuate veri Amoris nostri
Fonte & scaturigine

sub
Præsidio

VIRI PRÆCLARISSIMI
DN. M. CHRISTIANI TRENTSCHII,
Facultatis Philosophicæ Adjuncti meritissimi, Fautoris
& Præceptoris sui ætatem colendi

Publicè discutiendam præbet

CHRISTOPHORUS PEISRICHT, Vratisl.

*In Auditorio Philosophorum,
Ad diem 8. Maji horis antemeridianis.*

WITTEBERGÆ,
Ex Officinâ typographicâ JOHANNIS HAKEN.
ANNO M. DC. XLVII.

ill. diss. A
S. 2, 66

cl. CXXII. 66.

DISPUTATIO MORALIS
PRIMO OBIECTI BONI
AFFECTU

AMORIS


Amoris in Amore belli
Pons & Koenig



DR. M. CHRISTIANI
SACR. THEOLOG. FACULT. PRAESIDIUM

CHRISTOPHORI
PRAESIDIUM

WITTENBERG
IN OFFICINA TYPOGRAPHICA JOHANNIS
ANNO MDC. XLII



Θεὸς θελήσαντος καὶ τελέσαντος.

Amor omnium rerum Auctor est, Videmus enim quodam amoris foedere Universam naturam atque ipsa Elementa contineri. Id, si non rumpere, alias ex alijs rebus procreari, & eo usque procreatas manere, dum amor ille foedusque stabile permaneret. *Omniium animantium Pater est;* Inde enim generantur. Propterea veteres è caelo credebant amorem pro manasse, omniumq; rerum generationem temporis interventu, venerèq; operà patrari. *Idem omnium Tutor est;* Ab eodem enim conservantur. Hinc nonnulli Amorem mysterium Deorum dixerunt, ad curam & conservationem suam hominibus exhibitum. *Amor omnium rerum vinculum est,* Hoc enim felici amoris nodo ligatur rectè institutæ familiæ, cõciliantur Urbes, cõplicantur cœli, junguntur divinæ mentes, componitur mundus, & cuncta in Deum ceu ipsum Unum diriguntur. Quia Deus omnia amat, quæ ab ipso sunt, Ejusq; amor bonitatē causat in rebus, At amor noster causatur ab eo. Ideoque amare amantem naturæ est; Non amantem verò amare & beneficijs ad amorem cogere, Dei est. Hinc amanti non est lex posita, quid enim ponat Homo legem, ubi natura ingenuit? *Amor omnium artium fons & origo est;* Quando enim Homines ædificandi, texendi, medendi, fabricandi scientias excogitassent, si eas impensitis non amavissent? *Amor omnium condimentum est;* Utpote neque salsum neque svave esse quidquam potest, ubi amor non admiscetur. Fel, quod amarum est, id mel faciet: Hominem ex tristi lepidum & lenem inquit *Plautus.* Proin cum dulce valdè amoris nomen sit & summo- *Casin. act.* pere optabile, ita ut *secundum Aristot.* amari & honore affici [*cujus 2. sc. 3.* *pleriq; sunt cupidissimi*] finitima esse videantur, hoc cœpimus consilij, ut præmissis alibi Affectibus in genere, nunc etiam de iisdem in specie agamus, et in præsentia de primo objecti boni affectu, h. e. *Amore,* ex quo omnes reliqui affectus fluunt, quicquam proponamus.

lib. 1. contr.
gentes c.
92.

In classe Affectuum objecti Boni naturam juvantium & studium virtutis promoventium, primas sibi partes vindicat Amor, qui, *juxta Thomam*, omnis affectionis in Homine Principium, seu fons omnium affectuum, qui bonum spectant: Vocabulum Amare à mare descendere jocantur nonnulli; cum tamen & famellæ ament atque impensius sæpè. Proinde rectius sapiunt qui à Græco ἀμα, Unà, simul, deducunt; quia in Amore est amantis inclinatio ad perpetuandam cum amato Unionem. Quid enim est amor, *inquit Augustinus*, nisi quaedam vita duo aliqua uniens aut unire appetens, amantem & quod scilicet amat, & quod amatur?

II.

Differentiam inter Amare & Diligere Latini scriptores hanc faciunt, ut Diligere sit remissius, amare ardentius, *ut apud Cic.* Dolabellam antea diligebam, nunc amo. *Et ad Brutum*, Clodius me valdè diligit, seu *ut ἐμφοτικῶς* τοῦ εἶναι, valdè me amat. Et quam differentiam Latini ponunt inter diligere & amare, eandem Græcorum quidam inter ἀγαπᾶν καὶ φιλεῖν. Distingunt alij hoc modo: Dilectio seu caritas tantùm honesta est, Amor v. omnib; etiã brutis convenit, & sæpe conciliatur Voluptatis & Utilitatis gratiã. *Item* Dilectio est Dei vel etiam Hominum, & ex solâ virtute profiscitur. Amor re & factis declaratur, Caritas animo inhæret. *Vel*: Dilectio est Amor cum quodam rationis judicio. Et duo ligat scilicet amorem Dei & Proximi. *Vel* duo ligans uno vinculo amoris. *Origenes inquit*, videtur mihi quod divina scriptura volens cavere, ne lapsus aliquis legentibus sub amoris nomine nasceretur, pro infirmioribus quibusq; cū, qui apud sapientes seculi amor seu cupido dicitur, honestiore vocabulo charitatem vel dilectionem nominasse. *Alij* dilectionem accipiendam esse in bono, Amorem in malo dicunt. Sed amorem etiam in bono dici, ultrò patet. Denique *secundum alios*: Est amor pius, sed filiorum. Justus, sed est Uxoris. Crudelis, quando contra naturam; Obscenus, quando est meretricum. Quum

pravus

pravus est, vocatur cupiditas & libido; quum rectus, dilectio & caritas. Nos tamen sumimus potissimum pro Synonymis, & plures acceptiones relinquimus.

III.

Varijs modis ac titulis insignitur. Dicitur 1. *Telum feriens* propter celeritatem & facilitatem motionis & vulnerativæ, nec non pronitatem consensûs delectationis. Amantes enim amore alterius tanquam telo icti sauciantur. Hinc apud Senecam dicitur *Cupidopuer teliger*. Duplicem autem arcum amoris tribui constat, quorum uno tristitiæ tela, altero lætitiæ ejacularetur. Deinde & tela duplicia, pro numero arcuum. Illa plumbea, quæ fugabant amorem in amatâ, erantque apta arcui tristitiæ: altera aurata, quæ amorem inculcerent amanti. 2. *Puer*, at rectius forsitan Vir diceretur gravis: Puer ratione puritatis; gravis, ratione Prudentiæ. Puer, quia dulcis & gratus; Vir quia robore est præditus. Puer, quia maximè fervet & spe semper est refertus; vir, quia possidet & perfectione est præditus. 3. *Cæcus* scilicet. Effectus, quia amans in amato, bona maximè auget nimisq; extollit; vitia verò vel non videt, vel nimium extenuat. Vel: quia multos luminibus orbat & excæcos per mille abrupta & totidem præcipitia trahit raptatq; & non rarò in exitiabilem voraginem devolvit. Juxta illud: Amans, quid cupiat, scit, quid sapiat, non videt. Et rursum: Scilicet insano nemo in amore videt. 4. *Laquei* qui tam suaviter devinciunt, ut etiam à victis diligantur & expetantur. Propterea jure insolubiliter ligant, cum ligati nedum solvi non querant, verum sumo opere cupiant arctius ligari, in urumq; redigi. 5. *Ignis* ut enim fomes collisione filicis & chalybis in momento scintillulam ignis in aere excussam excipit. Ita animus, affectus. Objectum enim oblatum quasi silex est, phantasia chalybs, animus fomes; in quo affectus, quasi scintillula ignis statim accenditur. Hinc Poeta: Urit infelix Dido. 6. *Dæmon* ob vehementiam ejus ac vires, nec non quia caput est & Princeps Dæmonum hæc Humanarum perturbationum, quæ sunt quasi interni Dæmones.

nes. 7. *Morbis* mirificus enim affectus est : *Incipit effari mediâq;*
in voce resistit Adeo enim perturbato animo sunt, ut etiam sui ipsi-
us obliviscantur, & in amentiam quandam incidant. Omnise-
nim Amans amens. Hinc juxta Thomam, Amor causare Ecsta-
sin dicitur. Qui morbus à Medicis *ἔρως* vocatur. Oriturque inde
negligentia rerum maxima, juxta *Pœtam*.

Non cœptæ assurgunt turres, non arma juvenus
Exercet, portusve aut propugnacula bello
Tuta parant. Et rursus.

Amans animum summittit amori h. e. videt & commo-
dum & decorum utrumque agnoscit, utrumque negligit.

IV.

Definitur varijs variè, Amor propriè est amplexus ille primò prima-
que inclinatio appetitus proximè seqvès approbationē judicātis fa-
cultatis, in quo amplexu cū cōjunctione juncto, reperitur voluptas
quædam ex sympathia & consensione objecti tanquam boni cum
facultate prodiens, nec non dolor aliquis ratione privationis. *Item*.
Amor est animæ rationalis affectus, per quem illa aliquid cum
desiderio quærit & appetit ad fruendum; per quem & fruitur eo, &
cum quâdam suavitate interiore amplectitur & conservat adeptū.
Commodiùs definitur, quòd sit Affectus quo animus bonum a-
matum sibi aduniri & unum quasi cum eo fieri desiderat.

V.

Objectum Amoris est 1. *Bonum*. Nemo enim gaudet ni-
si de bono amato. Hoc autem est Bonum in genere acceptum, si-
ve sit honestum sive utile, sive jucundum: Idque vel verum vel ap-
parens. Amamus enim sæpe ea, quæ bona non sunt, sed talia
tantùm apparent. 2. *Bonum cognitum*. Bonum enim non est ob-
jectum appetitûs, nisi prout est cognitum. Requirit igitur Amor
cognitionem boni quod amatur. Et Bonum non potest amari
nisi cognitum. *Unde Ludovicus Vives ait*: Tantum amatur bonum,
quantum de illo possumus intelligere. Cognoscitur autem res
primùm ut ametur, sed cognitionem oportet esse tantam, ut quæ
ad

*l. 3. de ani-
mâ.*

ad educendum amorem sufficiat. *Et Augustinus: Amari, inquit, non nisi nota possunt. Ignoti nulla cupido. Major autem cognitio majorem causat amorem. Objectum hoc Bonum cognitum debet esse 3. Conveniens, aptum, & simile.* Amans enim cum re amata Unum esse, quoad licet, appetit. Similia a. maximè appetunt Unionem. Propterea dicitur Amor Unio amantis ad amatum. Pares cum paribus facilimè congregantur. Simile appetit simile. Sempèr natura gaudet æqualibus, & familiare sibi omne, quod simile est, *inquit Symmachus. l. 1. Ep. 43. Et alibi: Ex naturâ venit, ut quisque moribus suis proximum diligat. l. 3. Ep. 66.* Notandum tamen quod apud viros cordatos ad conciliandum amorem semper fortior sit animorum h. e. Pietatis, virtutis & Sapientiæ, quàm rerum corporearum similitudo. Juxta illud: Elicitur amor amore, probitate, fide, non extorquetur violentiâ. *Et ut Symmachus inquit: Virtutum similitudo concordiam facit. Et Poëta: Quos bene conjunxit Pietas, sapientia, Virtus Præ reliquis horum præstat Amicitia. l. 3. Ep. 86.*

VI.

Hoc objectum bonum, cognitum & similitudinem habens cum amante est Amoris Causa Principalis, ut enim invitat & conformat sibi appetitum ad appetitionem, causat amorem; ut absens, concupiscentiam; ut præsens, delectationem. Nam ut *Aristot. inquit. Nemo amore capitur qui non fuerit antea formâ l. 9. MOR. specieque delectatus, nec tamen is qui specie delectatur; statim amat, sed tum cum & absentem desiderat & præsentem concupiscit. Nic. c. 5.* Nam absentia amati facit quidem perceptionem amoris, licet non semper ipsum augeat; tamen nec amor cessat re præsentem. Deinde & spes causat amorem eumque auget vel ratione delectationis, quia delectationem causat: vel ratione desiderij, quia spes desiderium roborat.

VII.

Cause minus Principales & per accidens esse plures possunt, 1. *Consuetudo & convictus. Ea enim, inquit Schultet. in Eth. de Est vis Amore c. 4.*

Est vis consuetudinis, ut non corporis modo, sed & animi habitum immutet ad rei amatae formam. Unde saepius fit, ut Homines diversissimis ingenijs non raro firmissimas inter se colant amicitias. 2. *Divisiæ*, quia per illas comparari honores, libertates & voluptates possunt. Hinc quoque harum possessores amantur, honorantur, laudantur, quia de illis voluptuosè vivunt, & sine timore defectus & in securitate sufficientiæ rerum temporalium per vitam suam dominantur. 3. *Pulchritudo*. Dicuntur enim pulcra quæ visa vel audita placent. Placent autem quando in debita proportione consistunt. Hinc sensus delectantur in rebus debite proportionatis. 4. Referruntur ad has causas etiam possunt *Lenones & vetulae* velut folles insufflantes. Nam in tali negotio Diabolus est faber, mulieres sunt mallei, ignis in quo laborat, est luxuria, ejus follis ignem incendens est mala anus mediatrix, Ferrum quod mollescit, est animus virilis & fortis qui non obstante sua fortitudine in hoc igne liquefit, ut ostendit Hieronymus dicens: Ferreas mentes libido domat. Huc spectant comitas morum, cultus, munditiæ, Item *Φίλτρα* & veneficia, quæ tamen non verum, sed turpem amorem conciliant.

in Epist. ad
Oce. in. de
vitâ Cle-
r. 16.

VIII.

Distinguitur variè, partim ratione sui ipsius, partim ratione objectorum & causarum. 1. In amorem amicitiae, cum bonum aliquod animato volumus. Et concupiscentiae; cum concupiscimus quod nobis volumus. 2. In amorem activum quo alterum diligimus & passivum quo ab altero diligimur. 3. In amorem sui, vel apparentem in malis, et verum in bonis. 4. Consideratur dupliciter vel absolutè ut actio amantis, ejusque affectio, ac ita, si probè fuerit, est perfectio: Si improbè imperfectio amantis. Vel *Comparatè* inter præstantiam amantis & rei amatae. Plato triplicem facit amorem 1. qui est solus Virtutis. 2. illicitæ voluptatis 3. animæ & corporis. Primus omnium optimus; Secundus fœdissimus; Tertius mixtus, quia tamen corporis pulchritudinem nimis amat & admiratur, itidem pro erroneo habetur. Ac proinde manet duplex, licitus & illicitus, Bonus & malus, Honestus & turpis.

Licit

IX.

Licitus amor est, qui non solâ jucunditate aut pulcritudine sed honestate perficitur, adeoque ex rectâ ratione res verè licitas & bonas moderatè complectitur. Et hîc tanto præstantior est, quantò bonum nobilius & amabilius. Diciturque tribus modis ipsam devincere virtutem 1. per amorem ad voluntatem pertinentem quo honestum constanter amamus & optamus, 2. per amorem ad appetitus sensuum spectantem, quo, ut decet, diligimus objecta eorum & rationem rectam. 3. per mutuam virtutum dilectionem, cum enim Virtus omnis expetat honestum ac unaquæque virtus honesta sit, Etiam unaquæque alteram diligit, & pro facultate cum alterâ connectitur.

X.

Illicitus amor est qui tantùm circa jucunditatem & pulcritudinem illam, quâ appetitus noster movetur, occupatur; adeoq; ex depravato rationis judicio res vel illicitas, vel etiam bonas immoderatè prosequitur. Amat enim aliquando res bona non bono amore. Et omnis res, bona licet sit, benè tamen potest amari & malè. Benè, scil. ordine constituto: malè, ordine perturbato. Recta voluntas, bonus amor; voluntas perversa, malus amor. Ille amor ex judicio rationis & vero bono per se nascitur; ut est amor Dei, Hominum, Eruditionis, Pietatis, probitatis, bonæ valetudinis &c. Hic verò ortum trahit ex cæcâ libidine, quæ, teste Scaligero, est appetitus sine judicio, sine modo, non bono fine, nec amoris appellatione digna. Ille accidit animo, Hic tantùm corporis delectationem adfert. Illicitus amor, inquit Ambrosius, habet hoc, ut, quem desiderat, semper invenire se credat; Ignorat siquidem judicium, & rationem multoties caret, nescit modum, nec aliud cogitare potest, quàm quod diligit,

Exerc. 317.

sect. 2. p.

1017.

XI.

Multum autem amoris per sensus insinuat sese, quod postea teneris cogitationibus alitur atque excrefcit. Unde illi sensus, in-

B

quit

quit *Thomas*, præcipuè respiciunt pulchrum, qui maximè cognoscitivi sunt scil. visus & auditus. Capimur enim aut visu aut fama, ait *Scaliger*. Et *Plutarchus*, Amoris, inquit, quo nulla est animi affectio vehementior, principium à visu nascitur, sic, ut amans diffluat quasi ac lique scat, cum id intuetur quod amat, inque id velat transeat. Et paulo post: Qui tangunt, qui audiunt, non perinde vulnerantur afficiunturve, ut ij qui fixis oculis spectantur & spectant. Proinde Amoris sedes oculus præcipuè creditur, quippe qui est animi internuncius & amoris conciliator per quem tanquam per fenestram animus spectra & imagines concipit & interius admittit, quibus percussus incidit in rei spectatæ desiderium.

l. 3. de Re
Poet. cap.
19.
in Sympos.
l. 5. quest.
7.

Quod Musæus ita expressit: Est via ocellus
Ex oculi jactu paulatim labitur ulcus
In mentes, illasque domat, seque imprimit altè.

Et Poeta alius: Si nescis, oculi sunt in amore Duces.

XII.

Vires amoris ingentes sunt & propemodum inexplicabiles. *Hinc Sabinus*, Magna vis, inquit, est affectuum, præsertim amoris. Nullus enim affectus rationi minus obtemperat. Vim triplicem amor habet 1. Inclinativam, nam inclinat amantes ad humilitatem ac contemptum sui, & inclinat superiora inferioribus. 2. Elevativam scil. in desiderium superiorum & sic elevat inferiora superioribus. 3. Coordinativam, coordinat enim amantes in invicem per uniformitatem morum. Amor non accipit de impossibilitate solatiū, nec ex difficultate remedium, nec consilio temperatur nec tempore frenatur, nec rationi subjicitur, *scribit Ambrosius*. Vis amoris hoc agere solet in animo, ut quæ semper ipse cogitat, nullum alium credat ignorare *Hieronimus*. Nihil tam durum atque ferreum; quod non amoris igne vincatur. Nil durum nil amarum, nil grave, nil lethale computat amor verus. Amor est penetrabilis lorica: respuit jacula, gladium excutit, periculis insultat mortem irridet, si amor est, vincit omnia: *De Hercule dicitur*: Quem mors non poterat vincere vicit amor. Hinc

in ferm. de
assum.
Homil. 25.

Hinc multæ matres filiarum deformitates insignes in oculis jurabunt se nunquam animadvertisse præ amoris vehementiâ. Immò amat aliquis horridam aliquam Xantippem, quam esse deformem aut rudem aut tardam satis videt: tamen quia charitas eò non pertinet, sed ad Xantippes illius Personam, ardor non refrigescit.

XII I.

Effecta amoris varia sunt. Non enim otiosus est, nec vacare ab operando potest. Aliter autem agit in eo qui obtinere laborat, aliter in eo qui obtinet, aliter in eo qui obtinere nequit, vel postquã obtinuit, amittit. 1. *Fervor vel intensum desiderium* est, fervere n. facit amor, quando quis rei amatae nõdũ particeps est, sed obtinere illam impensè desiderat, somnia exspectat, ab ejus interceptione sibi metuit; rem amatam intensissimè intuetur, neque oculos neque cogitationes aliò deflectit, mutat sæpè mores ex effero fit mollis & sãvis, ex socorde industrius, ex tacito garrulus &c. 2. *Fructio seu delectatio*, quando enim jam obtinet & fruitur re amatã, eã se totum copulat, mancipat, unit. At sic amor facit amatum in amante esse; & vicissim, Amantem in amato. Hæc unio secundum rem amantis ad amatum, est jucundus effectus amoris. Ideoque effertur gaudio, omnibusque incedit latitij, & in illius fructione sãviter acquiescit. Ut enim assequi finem omnium jucundissimum est; Ita quilibet eo habito quod amat, vivit contentus, inquit *Plato in Phædro*. 3. *Langvor seu Tristitia*. Languere enim facit vel tristari de absentia rei amatae, quando quis obtinere eam nequit, aut acquisitam amittit, sollicitudine torquetur ac cruciatur, unde eum perpetuò comitatur dolor, quærimonia, lamentatio, indignatio, meritorum exprobratio, Zelotypia & interdum mors ipsa. *Inde Augustinus refert: Benè quidam de amico suo dixit: Dimidium animæ meæ. Nam Ego sensi animam meam & amici mei unam fuisse animam in duobus corporibus, propter vim scilicet amoris. Et ideo illo mortuo, horrore mihi erat vita; quia volebam vivere dimidius: sed ideo fortè mori metuebam, ne ille totus moreretur.*

*l. 4. confes.
cap. 6.*

XIV.

Finis Amoris multiplex. Unus primarius; & est ut redame-
tur: Alter posterior; & est Unio: Tertius ultimus; & est id bo-
num quod in nos ex unitione redundat. Ipsum Unum [quod su-
preum à Platone dicitur] est terminus ultimus ascensionis a-
mantis, bonum vero approbatum *ex sententia Aristotelis* Est ea per-
fectio quæ ex Unitione cum uno in nos redundat. *Vel:* Finis a-
moris est Unum & Unio cum eo, quod nos per bonum perficit.
Vel: juxta alios, Finis Amoris conjunctio est. Hæc n. summa voto-
rum omnium in amore, hoc album collimare cupit amor, affecu-
turus, quicquid optat. Optat autem amans, ut cum amet,
vice versâ ametur. *Plato inquit*, Amantem optare ex pulcro ali-
quid procreare pro sui æternitate. Item, Amantem expetere U-
nitionem cum amato.

*in convivio.
cum Diot.*

XV.

Commoda Amoris vel exinde patent: Tantum enim quilibet
portat proximum, quantum amat. Si amas, portas, si desisti a-
mare, desisti tolerare *inquit Hieronymus*. Verus amor veritatem
amat, in veritate judicat, pro veritate certat, cum Veritate
operâ consummat *Beda tradit*. Cingulum quo cingitur amor,
est gaudium spei, quia ubi amor est, ibi est spes, ibi
gaudium. *Chrysostomus* Verus amor non sentit amaritudi-
nes, sed dulcedinem: quia soror amoris dulcedo, sicut so-
ror odij est amaritudo. Diciturque propterea Amor dulcedo sa-
poris intimi, quantum enim ardentius amat, tanto suavius gustat.
Et ubi amor est, labor non est: Nullo tenim modo one-
rosi sunt labores amantium; sed ipsi delectant. Et in eo quod
amatur aut non laboratur, aut labor amatur. *Plura in prolo-
quio.*

XVI.

Nec pauca Amoris *Incommoda* sunt. Liber enim nullus amans
est: neque suus sed sibi alienus. Amoris ministra est fama, comes
suspitio & metus rivalitatis. *Ex Aristotele, Senecâ Plutarcho Hie-
ronymus inquit*: Amor turbat consilia, altos & generosos spiritus
frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit: queru-
los,

los, iracundos, temerarios, durè imperiosos, serviliter blandos, omnibus inutiles ipsi novissimè amori facit. Nam cum fruendi cupiditate insatiabili flagrat, plura tempora suspicionibus, conquestionibus perdit, odium sui facit, & ipse tandem sibi odio est. *Erasmus ita amorem depingit*: Blanda pestis, quantum malorum agmen secum trahit? Ante omnia famam, possessionem longè pretiosissimam eripit: Nullius enim vitij rumor spurcitis olet quam impudici amoris: Patrimonium exhaurit, corporis simul & vires & speciem interimit: valetudinem vehementer lædit: morbos innumerabiles patit eosque fædos: juventæ florem ante diem devenustat: turpē senectā accelerat: ingenij vigorem tollit: mentis aciem hebetat: ab omnibus honestis studijs avocat, hominemque quantum est, totum cœno immergit, ut jam nihil nisi sordidum, humile, spurcum libeat cogitare: & quod Hominis erat proprium, eripit rationis usum: insanam atque infamem adolescentiam, odiosam ac turpem miseramque senectam facit.

XVII.

Amantium miseras & amoris æstus, eventusque infelicissimos præ reliquis creberrimè ante oculos ponit *Plautus*, *Amo. Merc. act.* rem, *dicit*, hæc cuncta vitia sectari solent, cura, ægritudo, nimiaque elegantia, infortunium, insomnia, ærumna, error, terror, fuga, ineptia, stultitia, temeritas, incogitantia, cupiditas, malevolentia, petulantia, aviditas, desidia, injuria, inopia, contumelia, dispendium, multiloquium, pauciloquiumq; *Et alibi*: Amor & melle & felle est foecundissimus: gustu dat dulce, amarum ad facietatem usque oggerit. *Item*, Amor primus carnifex. *Et rursus*: Amor amara dat tibi satis, quò ægrè sit. *Amor pudorem, modum, consilium non habet*, inquit *Bernhardus*. *Sunt in eo injuriæ, suspitiones, bellum, pax rursus*. *Paucis*: Amor honestus juvat, turpis inficit. Ille perficit, hic pervertit: Ille elevat, hic deprimit: Ille tranquillitatem, hic curas parit: Ille ingenij aciem acuit, hic obtundit: Ille vitam nostram format, hic deformat; Ille nos rectè dirigit, hic in perniciem ducit: Ille constans est, hic levis & volubilis.

XVIII.

Res ipsa fidem facit, quando Amatorculus aliquis rectioris consilij ignarus, Veneris amore affectus, aggreditur suaviter ac blandus, largosque sui amoris constrepit imbres & primum omnium puellam laudat, ipsiusque indolem moribus suis apprimè similem jactitat, captamque se ejus formam dicit, postremò præ amore immodico (proh dolor) perire. Videlicet non ignorat multarum animos vanos & unicè laudibus suis delectari. Sic volucrum aucupes fisco fallit. Ex parte alterâ quando formellæ nonnullæ, causâ viros ducendi ad concupiscentiam pigmentis fucatae quasi venatum à Diabolo ducuntur expansione formæ, cultûs, sermonis; Sed tales sibi ipsis non minus tendunt rete quàm viris, durioresque sibi reddunt custodiam suæ pudicitiae quàm tot eam expetant atque impetant. Ægrè siquidem retinetur, quod tam multi laborant extorquere. Nec mirum si contingit interdum, ut amoris flamma, quam in conjugio ardere conveniebat, ante conjugium ardeat, & postmodum inter primos nuptiarum amplexus deflagret & extinguatur. Durare enim ignis non potest, qui pabulo & fomento caret; Nec amor qui honestis moribus non alitur juxta commune effatum: *Quos impudici amores jungunt, maiores exercent.*

XIX.

Cum autem Amori non tantum odium sed etiam moderato immoderatus, seu honesto turpis adversetur, ac propterea inter morbos reputetur, meritò idonea quæri amuleta vel remedia debent. Illorum verò quatuor videntur genera esse 1. Violenta, 2. Theologica, 3. Physica, 4. Moralia, quæ maximè sunt præsentis instituti.

XX.

*Remedia Amoris violenta sunt quæ præscripsit Cleanthes cum ait: Amori medetur fames, tempus, laqueus. Et juxta antiquum Epigramma: Fames amorem sedat, id si sit minus
Tempus medetur, sin nec ista extinguere
Flammam queant, tum restat ut funem pares.*
Fuc-

Fuerunt non-nulli qui ad cohibendum amoris ardorem cilicio & vestimentis asperioribus uterentur, oculos eruerent, aquis se mergerent, flagris distringerent, spinis injicerent, mirisque modis corpora sua lacerarent. Sed mittamus inutilia, vana & stulta remedia quæ libidinem restringere non possunt, sed esse illorum solent, qui ex cæco impetu spretis divinis legibus & rectâ ratione vim naturæ inferant: dignum scil. patellâ operculum. Alia quippe est bestiarum, alia hominum ratio. Equi calcaribus & capistris, Canes loris impelluntur. Homines ita duci non debent sed potius verbo Dei, legibus honestis, sanâ ratione.

XXI.

Theologica Remedia applicanda ita sunt, ut ponderemus quàm immundus, quàm spurcus, quàm quovis etiam Homine indignus ille amor sit, qui nos divinum plasma pecudibus ut suibus, hircis, canibus & brutorum brutissimis animalibus æquet. Quàm momentaneus sit quàm insincerus, quàm semper plus aloës quàm mellis habeat. Item quàm indecorum negotium sit, pallefcere, macerari, blandiri, occinere ad fores nocturnas, pendere de nutu Dominæ, pati regnum famellæ, expostulare, irasci, rursùm redire in gratiam, & ultrò te ridendum, pulsandum, mutilandum, spoliandum lupæ præbere. Ubi quæso, inter ista viri nomen? ubi auctoritas? ubi generosus iste animus rebus honestissimis natus? Obversetur nobis ante oculos extremi judicij severitas & non retractandæ illius sententiæ metuendum fulmen, ni ignem æternum mittentis impuros, & quod hæc horaria brevisq; & exigua voluptas æternis sit luenda cruciatibus. Quisque cogitatione contempletur Angelos custodes, omnium, quæ vel facit vel cogitat, assiduos spectatores ac testes. Deum Inspectorum cujus oculis omnia patent. *Videatur Erasmus & Marulus.*

l. 3. cap. 21.

l. 4. c. 5.

l. 3. c. 10.

XXII.

Ad *Physica* Remedia referri possunt quæ Mondognetus refert in vita Aurelij, In Insula Cethir, cui & Cypri nomen est, ibi mons est non admodum excelsus, Arcadius nomine, in eo Flabia nascitur herba, cui insitum à naturâ est, ut si excidatur, dima-

net

Majolus
Colloq. 20.

l. 2. de re-
med. am.

l. de ira co-
lib. c. 7.

l. 3. c. 10.

l. 1. de re-
med. am.

net ab eâ liquor sanguineus tepescens, quo, dum tepor durat, si quis ab alio contingatur, occultâ quâdam ratione trahitur in amorem ejus, qui tetigerit; at si is succus refrixerit, eoque quisquam contingatur, amoris refrigerationem, benevolentiaeq; aversionem inducit. *Hæc ille.* Verùm non carent hæc superstitione. Amor enim & odium cum ex animi electione proficiscantur, & Hominis animus nullâ vi cogi ad aliquid possit, cum liber sit; non poterit herbarum viribus adigi ut vel amet vel amare desinat. Hoc tamen largimur abundè, in herbis aliquid esse posse ad sedandum non-nihil libidinis impetum, ut dicitur de lactucâ ob insitam frigiditatem, vel de rutâ ob siccitatem ob quam caloris vim habet. *Ideo Ovidius.*

Utilius famas acuentes lumina rutas.

Et Iquicquid Veneri corpora nostra negat.

XXIII.

Moralia amoris remedia sunt I. *Principiis obstare.* Neque enim tam facilè excutitur quàm recipitur Sessor, neque tam citò ejicitur, quàm admittitur hospes. Præclarè dictum à *Senecâ* semper est facilius excludere perniciofa, quàm regere; et non admittere, quàm admissa moderari. Quarundam rerum initia in nostrâ sunt potestate, ulteriora nos visu abripiunt, nec regressum relinqvunt. In confinibus pellendus est hostis, qui cum intravit, & portis se intulit, modum à captivis non accipit. *Et alibi:* Virgulta refellere, fontes obstruere, scintillos extinguere facillimum: sed arbores eruere, flumina sistere, incendia opprimere perquam laboriosum. Si impurum amorem semel intromiseris, eundem expellere non semper poteris. Amor, ut *Publius* inquit, animi arbitrio sumitur, non ponitur. *Et Plutarchus:* Amor, sensim illabitur, sed ingressus non facilè discedit, etiamsi alatus. *Nec male Ovidius:* Principiis obsta, serò medicina paratur

Cum mala per longas invaluerè moras.
Apparet igitur Esse in tuâ manu Amorem admittere: Et postquam admiseris, jam Te tui juris non esse, sed illius; Non licere tibi illum extrudere, quàm libeat, illi verò & licet & licebit domicilio te tuo deturbare. *Eleganter Mimus,* Amor inquit, & vinum

in

Coll. diss. A, 122, misc. 66

